



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XL. Quantæ parentibus, sæpe in matrimonio à liberis, & quas ob
caussas, cruces enascantur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

domo pensi habet, quid coram infante Domino aut dicat, aut faciat, quando etiam ipsi parentes nec probitati, neq. modestiā parvulos assuefaciunt, sed lascivia & libertati, per qua paulatim impudentia irrepit, & sui alieniq. contemptus. Iam vero propria & peculiaria huius urbis vitia pene in utero Matris concipi mihi videntur.

CAPVT XL.

Quanta parentibus, sæpè in matrimonio à liberis, & quas ob causas, cruces enascantur?

Est sanè ita, vt Christus dixit, tristitia mulieris parientis leuatur, cum peperit puerum, & jam non meminit pressura, propter gaudium, quia natus est homo in mundum: nec minus tam pater gaudet, quam mater. Sed & hoc gaudium sæpè turbatur suspitione, coniectura, euentu inexpectato, morte immatura pueri parentibus erepti, aut sanè ita moribus deformati, vt eum parentes optarent, in primo balneo fuisse suffocatum; adeò sæpè est, in partu, lætitia præcoqua nimium intempestiueque gliscens. Nam etsi mater de prole certa est, dolet tamen si videt virum dubitare. Probè hæc aduertit D. Basilus, cuius hæc sunt. *Quæ mortali connubio coniuncta est, ad suam ipsius curam viri quoque altera adiecta geminam, in una anima, ex coniuncto sibi corpore, sollicitudinem necessario sustinet. Ubi vero filios, post cubiculi solennia & secreta commercia parturire atque in lucem edere cœperit, per vnum quemque nascentem animo scinditur, & presentibus tristibus nascituri cura semper adicitur. Et paulò post: Ubi filios edidit, aut ad bonam frugem illi euaserunt, & maiores, illorum absentia, inuicem dolores tolerat, quam parturiens tulerat (quod in absentia filij senioris Tobie vxor quælibet assiduis testata est) aut malos enasisse confiderat, & maius ex ea procuratione liberorum, quam si permanisset sterilis, opprobrium sustinet. Verissima hæc sunt. Apud patrem autem etiam plura. Quoties enim proles incerta est, ob cuculos? quoties saltem suspicio est, quæ cruciat, aut coniectura? Noui bellici nominis virū, qui non meruebat hostem, sed vxorem: nam quia senior ipse nunquam fidebat coniugi iuniori,*

I.
Ioan. 16, 17.

S. Basil. de
vera Virgin.

semper ova timebat aliena. Accidit, ut vxor innocens illi-
lium pareret, sed vultu admodum deformem, & vtriq; paren-
tum valde dissimilem; quem ille nolebat agnoscere pro suo, se-
que eapropter, vsque ad mortem affligebat. Quid doloris sen-
sisset, si adulterij conuicta fuisset vxor, quem suspicio, & tam
leuis coniectura enecauit? Nec tamen semper vana est suspi-
cio, euentusque ipse subinde demonstrat, quam vana fuerit
lætitia patris prægestientis.

II.
Michael Pic-
cartus in Epi-
scopio narrat.
sid. c. 2.

Est in Italia Plumbinum oppidum nobile quod nonnulli Popu-
linum appellant, tanquam ex Populonia ruinis adificatum, situm ad
est, in litore Tusci maris, Ilue insule oppositum, qua ferri venis in-
exhausta magnum quotannis vectigal, Plumbini domino præbent.
Huic oppido præerat Iacobus Appianus, circa annum salutis 1390. ex
pago Appiano, in ora Pisana, cognomentum adeptus, ex Paula no-
bilissima femina Martini V. Pontificis sorore natus, princeps, ut lau-
datur, pacificus, & à vicinis omnibus amatus. Hic cum ex con-
iuge virilis sexus sobolem non susciperet, cupiditate nominis generisq;
proferendi, extra matrimonium, heredem quasit, & concubinam
amare cepit, quam cum pregnantem animaduertisset, mira volupta-
te perfusus cum pariendi tempus jam prope adesse animaduertiret,
ad Florentinos, Senensesq;, incredibili gaudio gestiens scripsit, atq; uti
legatos ad se mitterent ac partum de sacro fonte leuarent, furores
compatres magnis precibus inuitauit. Paritum est, venere ad diem
dictam legati. Interim mulier inter obstetricum manus, diu labo-
rans tandem Ethiopem peperit. Quæ res ut risum in populo cachin-
numq; excitauit, ita splendidas istas compaternitates interrupit, ac
spes & gaudium Appiani mirifice conturbauit, tibicen tum forte
Maurus in familia eius erat, ex quo natum puerum credidit, & in
quidem mox ubi detectum flagitium intellexit, saluti sua fuga con-
suluit, partumq; mulieri, ludibrium principi reliquit.

III.

Deponebant olim matres, humi, prolem, quam pepererant;
eam maritus, si pro sua agnouisset, leuabat, vnde & liberis di-
cebatur sustulisse. Sunt qui tantopere non curant, vnde prolem
habeant, dummodo habeant heredem. Legitimam, an illegi-
timam prolem suscipiant, nihil morantur. Quorum itidem
gaudium non solet esse diuturnum. Quia filij adulterorum in-
inconfuta-

Sap. 3. 16

inconsummatione erunt, & ab iniquo tero semen exterminabitur. Et si quidem longa uita erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nonissima senectus illorum. Et, si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationis enim iniqua dira sunt consummationes. Quod expectus est Dauid, quando percussit Dominus paruulum, quem pepererat uxor Vria Dauid, & desperatus est. Deprecatusq; est Dauid Dominum pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram. Venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum, ut surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum. Ascidit autem, die septima, ut moreretur infans: timueruntq; serui Dauid nunciare ei, quod mortuus esset paruulus. Tantus est parentibus e prole dolor, si, vix data, eis rursus morte auferatur. Immo, quod diutius & in maiorem spem vixit filius, eò in maiorem conijcit parentes luctum. Quod vel Poëta sciens his carminibus deplorauit.

2. Reg. 12: 15.

2. Reg. 12: 15.

2. Reg. 12: 15.

Atque hic Aeneas (una namq; ire videbat
Egregium forma iuuentem, & fulgensibus armis:
Sed frons lata parum, & deiecto lumina vultu)
Quis Pater ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius? ane aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? quantum instat in ipso est?
Sed nox atra caput tristi circumuolat umbra.
Tum pater Anchises lacrymis ingressus obortis.
O nate, ingentem luctum ne quare tuorum.
Ostendent terris hunc tantum fata: neque ultra
Esse sinent. Nimum vobis Romana propago
Visa potens Superi, propria hac si dana fuissent
Quantos, ille virum magnam Manortis ad urbem
Campus aget gemitus: vel qua Tyberine videbis
Furores: cum tumulum praterlabere iacnem!
Nec puer diaca quisquam de gente Latinos
Intantum spe tollet anos: nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, inuictaq; bello
Dextera: non illi quisquam se impune tulisset

IV.

Virgil. lib. 6.
Aeneid.

Obuius

Obuius armato: seu cum pedes irret in hostem:
 Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
 Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas:
 Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.
 Purpureas spargam flores: animamq; nepotis
 His saltem accumulem donis: & fungar inani
 Munere.

V. In sacris litteris, audierat Dauid à Chusi, occisum esse Absalom, rebellem illum, & patri suo rebellantem. Contristatus itaque rex ascendit coenaculum porta & fleuit. Et sic loquebatur vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalom? Porro rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi, Absalom, Absalom fili mi. Tanquam erat amor patris, vel in rebellem, ut victoriam ipsam non confirmaret, filio interfecto, cui vita rapta est, dum voluit rapere sceptrum paternum. Quis non videat quantos ex hoc filio haberet luctus patris: aut in quantum dedecus transierit ambitio in arbore exaltandi Absalonis? Nimirum *Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo letabitur.* Quid magis fatuum, quam persequi patrem tam sapientem? & rege superbite armato, regnum affectare? Verè tunc fuit *ira patris filium stultum, & dolor matris, quæ genuit eum.* Quantum doluisset Dauid, si eum Absalom nunquam contristasset, qui moti voluit, pro rebellante? Quamuis utique maiore eum moestitia affecit rebellando, atque alia perperam multa agendo, quam cum moreretur. Prudens enim & pius pater, qualis Dauid erat, plus offenditur filij reatu, quam obitu; & mauult habere nullum, quam impium.

VI. Hoc argumento, commendat, aut certè excusat Beza perpetuum calibatam Iacobi Sturmij Argentinensis patricij, de quo, post multas laudes, sic ait: *Illud tamen in Sturmio fortasse quispiam merito reprehenderit, quod in perpetuo calibatu uiuentem heredem suarum virtutum patria uideri posset inuidisse: Sed quid veritus est, vetus illud, & quidem re ipsa frequenter approbatum: Horum filij noxæ? Quo loco Beza aliqui cum suis, eos reprehendens quæ, ut maiore cum puritate Deo seruiant à coniugio abstinere*

Beza in Iconibus virorum suorum illustrium.

VI
 3. dil. lig. V
 Prou. 17. 27.

abstinent viuuntque in cælibatu, Sturmium vel excusat, vel etiam laudat, quòd voluerit coniuge & coniugio carere malorum liberorum & ignauæ posteritatis metu. Nec sanè paucos ea res absterret. Vident enim quotidie, ante oculos, quantum liberi, si sint parui, parentibus creent laborem, quantam curam, quantosque dolores, si adolescant. Maior enim proles plerumque maioris sollicitudinis fit causa: ne ægrotet; ne morbo, vel ferro extingatur; ne malo consortio ad flagitia & dedecora abripiatur; ne alea, ne pila, ne poculis bona parentum dilapidet; ne inconsulto matrimonio se inuoluat, ne in parentes ipsos insurgat, & vel vi, vel fraude pecunias, vestes, gemmas subducatur. Et sanè non rarò etiam sanctissimi parentes filios suos domi optimè educatos, foris audiunt factos esse sceleratos, tanto maiore suo cum dolore, quanto ipsi sunt honestatis amantiore. Quanquam neque mali parentes malos filios tolerant sine cruciatu. Quò enim in iram sunt promptioris, eò impatientiùs ferunt, si contumeliam à gnatis suis patiantur. Et quidem si de bonis parentibus loquamur, quid Adamum putemus, in suo Cain, solatij habuisse? Si doluit, ob vnum filium interfectum, quantò grauiùs afflictus fuit, ob alterum interfectorem, quem vidit fratricidam se genuisse: vti & postea Dauid, cuius filius Amnon re turpissima cum sorore peracta, à fratre item suo temulentus est cæsus. Et idem time-re debuit Isaac, & Rebecca; metuebant enim ne Iacob ab Esau occideretur. Abraham ab Ismaële, Iacob à Ruben quis nescit plus tædij, quàm gaudij recepisse? Noë verò quid non audiuit sibi à filio Cham factum esse dormienti? Neque enim huic satis fuit, aspexisse patrem suum inuerecundè, sed id etiam nunciavit duobus fratribus suis foras. O quoties videmus filios parentibus suis illudentes, vultu, nutu, dictis, & cachinnis bilem mouentes! Erat in quadam Imperiali ciuitate masculus, musculus vulgò dictus, quòd ipsis pygmæis esset minor. Hic vxorem, cuius cingulum vix vertice æquabat, verberaturus in scamnum assiliebat, vt eam colaphis mulcere posset. Emerat aliquando vxor eius anseres, quos conclaui intulit. Anseres infestis rostris vexantium liberorum oculos appetebant. Sed

Gen. 9. 22.

S ff

illi

illi non tam de se, quàm de joco solliciti identidem clamabant, *Pater mi, ascende scammum, ne tibi quoque oculos effodiant.* Et placebat hoc matri, quòd filios haberet tam iocosos. Pater tamen faciliè conijciebat, quid sibi ab adultis expectandum esset, quem vix nati & fari incipientes jam derisui haberent. Leue est hoc, inueniuntur filij & filia, qui in aperta conuitia, opprobria, contumelias, iniuriasque parentum excandescunt, atque in tantum eos luctum conijciunt, vt non rarò, ne tam acerba dicta factaue diutiùs ferre cogantur, sibi ipsis violentas manus inferre meditentur. Exemplis hìc superfedeo, quorum multa fati, in libro *De gnauo & ignauo filio*, sunt à me commemorata.

VII.

Ex his omnibus perspicuum fit, *bonum proliis*, in coniugio, plurima habere opposita mala, quibus amarescat: nempe 1. mordet suspicio patrem, ne alterius filium, pro suo, alat. 2. vulnerat illum probabilis coniectura. 3. cruciant illum absentia, morbi, periculaque mille liberorum. 4. enecat mors immatura, dum cogitur prolem sepelire, à qua sibi oculos claudendos sperabat. 5. lacerant denique, velut Pentheum sorores, vitia moresque inquinati liberorum. Cur igitur in bono Matrimonij statu, hæc Mundi Gubernator permittit esse? Sæpe enim de parente aliquo dici potest. *Deus seruabit filijs illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc sciet. At quis arguet eam eo viam eius?* Habet enim multas & æquissimas causas. 1. Nullum vult esse, in hac vita statum vndequaue felicem, vt ad feliciorum, in altera, aspiremus. Quare, postquam dixit Apostolus, *Si acceperis uxorem, non peccasti. Et, si nupsit virgo, non peccauit*, disertis verbis adiecit: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Hoc acetum affudit, ne quis merum, in coniugio, multum expectaret, aut matrimonium putaret excellentius quid esse, quàm cœlibatum.

Tob. 21. 19.

1. Cor. 7. 28.

VIII.

2. Multi sanè timent, alienam esse prolem, quam alunt, vt suam. Sed huius metus ipsi sunt causa. Cur enim suspiciosè & criminose de alijs cogitare consueuerunt? Magnus est horum numerus, quia

Omnia

Omnes, quibus res minis secunda, magis sunt nescia quo modo Terent. Adelph.

Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis, Propter suam impotentiam, se semper credunt negligi.

Ita, dum de alijs malè judicant, se ipsos sollicitudine plectunt. Est enim omnis affectus inordinatus similis *arcti pravo*, qui tela retorquet in iaculantem. 3. Quanquam sanè non rarò coniectura nitatur non futili argumento, tamen plerumque isti ipsi mariti perfidas faciunt suas vxores. Cur enim eas tantopere ornant oculis alienis? qui equum comit, emtores allicit: & phaleræ adduntur foras producendo in spectaculum, in stabulo demantur. Cur ad omnes choreas mittunt? cur omnibus eas oportet epulis, iocis, ludis, angulis, tenebris, stationibus, sessionibus interesse? Sed dominas volunt, & dominantes.

Quæ indotata est, ea in potestate est viri.

Dotata maclant & malo, & damno viros.

Nulla igitur dicat; Equidem dotem ad te attuli

Maiorem multò, quàm tibi erat pecunia.

Enim mihi quidem æquum est purpuram atq; aurum dari.

Ancillas, mulos, muliones, pedissequos:

Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.

Nunc quoquo venias, plus plaustrorum in adibus

Videas, quàm ruri, quando ad villam veneris.

Sed hoc etiam pulchrum est præquam ubi sumtus petunt.

Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius;

Campones patungarij, indusiarij;

Flammearij, violarij, carinarij;

Aut mansuarij, aut murrotharij;

Propola, linteones, calceolarij,

Sedentarij, sutores, diabatharij;

Petunt fullones, sarcinatores petunt.

Stropharij astant, astant semizonarij.

Iam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt.

Trecenti cum stant phylacista in atrijs,

Textores limbolarij, arcularij ducuntur: datur

Es, iamq; hosce absolutos censeas.

555 2

Eum.

Plant. in Au-
lularia.

Cum incedunt infectores crocotarij,

Aut aliqua mala crux semper est, qua aliquid perat.

Talem mulierem, qui pati potest, qui ambit, qui incitat, qui instigat, ut sese ornet, patiat etiam admiratores & insidiatos, necesse est: vel doceat eam, domi se viro suo ornare; ac subducere oculis alienis. Minus insidiarum habet, quæ minus habet munditiarum. Dum comuntur, venduntur; vel certe foro parantur, & emtoribus prostituuntur.

IX.

Tob, 10. 1.

4. Tristis est absentia liberorum? Ita cum moras faceret Tobias, causa nuptiarum, sollicitus erat pater eius Tobias, dicens: *Putas, quare moratur filius meus, aut quare deuentus est tibi? Patasne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam? Caput autem contristari nimis ipse, & Anna uxor eius cum eo: & ceperunt ambo simul flere: eo quod, die statuto, minimè reuertetur filius eorum ad eos. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu, heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostra, solatium uitae nostra, spem posteritatis nostra? Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis, &c.* Hæc tristis absentia filiorum sæpe magnam habet utilitatē, sæpe etiam necessitatem. Numquid enim omnes liberi possunt semper manere domi? quorum si magnus numerus est, alibi debent quærere & panem, & la-rem. Quia ita, dum coloniæ educuntur, satisficit præcepto illi, *replete terram, & subiicite eam.* Quàm multi domi effeminentur, si non aliò migrarent, ubi linguas, ubi artes, ubi mores addiscunt bonos? Patuit in Ioseph, quid eius absentia, licet, Iacobo Patriarchæ diu mœstissima, tamen & patri & fratribus, & vniuersis postea Israëlitis profuerit. *Promisit me Deus, ut reseruemini super terram, & escas ad uiuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum,* ait. Quanta è Tobia filij itinere absentiaque bona extiterunt? Acquisiuit filius Angelum comitem in via, doctorem in pisce, custodem in periculis, contra Asmodæum defensorem, procuratorem pecuniæ, conciliatorem sponsæ, medicum parentis, nuncium diuini fauoris. Mansisset cæcus domi parens, nisi filius sel piscis aliunde attulisset. Eguisset Anna mater, nisi ei, cum uxore, diu-

Gen. 1. 28.

Gen. 45. 7.

re, diuitias filii apportasset. Tantum valuit absentia filii. Quæ alijs etiam idcirco prodest, quia, filijs præsentibus, amore nimio, indulgentia, conniuentia, blanditijs, sæpe etiam excañdescencia, & mille alijs modis peccauissent.

5. Quæ etiam sæpe in caussa sunt, vt filij, ante tempus, è vita eijciantur, atque, vtroque parente viuo, viui pestem optent, iuxta illud: *Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.* Magno in luctu fuit Dauid, cum paruulus ægrotaret. At fuit ille paruulus ex adulterio susceptus. Occidit Vriam Dauid, vt adulterium tegetet; & non occideret Deus paruulum illius, vt adulterium plecteret? Plurima exempla sunt, in quibus, vt parentum peccata puniret, filios Deus morbis afflictauit, aut morte sustulit. Absalom sanè & ipse triplici hasta confossus, dum ex arbore penderet, an non occidi meruit; qui, si penes ipsum fuisset, patrem & regno, & vita priuasset? *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram,* ait Dominus. Discolis, & parentum suorum persecutoribus non promisit longæuam vitam. Non enim digni sunt, quos terra sustineat. Mortè igitur dignus fuit Absalom Patris persecutor. Sed & Dauid Absalonem nimium dilexit, minimumque ei indulgit. Et vtique meruit talem prolem amittere, in cuius amissione beneficio affectus est. Beneficium quippe est, amittere persecutorem. Quid conqueri possunt parentes de filiorum morte, quam ipsi merentur, optant, aut procurant? Ludouicum Francorum regem Cleri bona vsurpantem S. Bernardus admonuit. Sed surdum. Neque enim ille abstinuit. Cui Bernardus: *Hæc tua, Rex, pertinacia,* inquit, *filij interitu multabitur.* Dictum factum. Philippus enim Ludouici filius, animi caussa, in campos exierat, & dum extra Parisiensis ciuitatis muros asturcone tollutim veheretur, inter crura lasciuentis equi sus domestica intercurrit. Equus igitur territus ac ferociter cespitans iuuenem humi deturbauit. Quo ex casu, nocte insequente, decessit. Cuius mors, sicut Ludouico mærori fuit, ita eum etiam admonuit, vt de futuris magis, quàm de præsentibus sollicitus esset; & sacra non tangere.

Tum enim in mentem illi venit D. Bernardi vaticinium. Duo

SSS 3

itaque

X.

Psal. 108. 12
2. Reg. 12. 15.

Exod. 20. 12.

Robert. Ga-
guinus lib. 6.
Annal. de
Francorum
gestis.

Histor. tri-
part lib. 1.
cap. 11.

itaque Ludouicus è filij morte beneficia accepit, emendatus est, & hinc punitus, ne, ob violata Ecclesiæ bona, æternas sustinere pœnas cogeretur. Seruasset filium, si, quæ Dei erant, Deo reddidisset. Venerunt aliquando ad Ammonem Ægyptium san-
ctitatis fama celebrem parentes duo, ei que filium rabidi canis morsu periclitantem ciulantes obtulerunt, rogantes ut eum curare dignaretur, quibus ille dixit: *Non eget mea curatio: sed vos, si vultis reddere bouem, quem rapuistis, dominis suis, agri- tus repente sanabitur.* Quod etiam contigit. Mox enim vbi restitutus est bos, est etiam puer sanitati restitutus. Discant hinc, qui multa malis titulis coaceruant, infelix esse lucrum ex alieno. Illud enim dum acquirunt, sua & suos amittunt. Quare, se ipsos accusent, non Deum iustum vindicem, si patiuntur, quod meruerunt.

XI.

Psal. 105. 37.

Orosius l. 7.
cap. 3.

Delrio lib. 3.
disquis.
S. Aug I 22.
de ciuit. c. 18.

Abbas Caro-
lus in stema-

6. Quid quòd multi ipsi optant, aut procurant etiam interitum filiorum? Non afferam è fabulis Medæas, aut Prognas: in sacris litteris inueniuntur, qui *immolauerunt filios suos, & filias suas demonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculprilibus Chanaan. Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum.* Herodes Ascalonita tanto furore in bimos exarsit, inter quos voluit Christum interficere, ut ne suis quidem filijs pepercerit. Quam ob causam, teste Macrobio, Augustus dixit: *Melius est, Herodis porcum esse, quam filium.* De imprecationibus, de que alijs in filios diritatibus passim occurrunt historiæ. Et nota est illa, quam apud S. Augustinum legimus, & retulit proprio libello Paulus, ex illis fratribus vnus, qui ob iniuriam matri illatam, eius imprecatione, horribili tremore quatiebantur. Volunt utique parentes obtinere, quod imprecantur. Quid possunt igitur conqueri, si habent, quod volunt? immo quod faciant. Nam sunt qui naturæ & ipsi Deo leges præscribere non verentur, &, nisi prolem nullam volunt, occiderentque vel ipsi, nisi Deus obstaret, eriperetque nonnullos, velut infantem Moysen è manu Pharaonis; vt S. Virgini Perpetuæ contigit. Habebat hæc nobilem parentem, qui in regiam aulam se conferens prægnanti vxori

suæ edixit, si puellam pareret, morte luituram. Paucis postea diebus peperit puellam, minarum itaque & mortis metu iussit infantem obstetricis manu occidi. Obstetrix obtorto collo interentam puellam existimans, sub stramine occuluit. Interea Angelus patri eius in aula apparens mandauit, vt actutum domum rediens filiam à Deo datam susceperet, susceptamque in monasterio montis Romarici sacris aquis tingi curaret, Pompeiana in patrinam rogata, filiaque Perpetuâ nuncupata. Adidit, seuera monitione, ne vxori puerperæ quidquam mali ea propter inferret; filiam autem monasterio relinqueret educandam. Accepto mandato parens illico domum reuersus, de nato infante, quæsiuit, vbi esset? Respondit puerpera, abortum se passam; immaturum partum in cloacas abiectum esse. Inquit maritus, neque antè cessauit vrgere familiam, quam illi partus est allatus. Quem sanè crudelis obstetrix mortuum cum afferre vellet, reperit vegetum & incolumem, digito vno os signantem. Allata est puella, & in dicto cœnobio ita piè educta, vt tandem potestate, & pietate omnibus præluceret. Sic Deus etiam suum & Virginis filium, ab Herodis immanitate, sic Moysen à tyrannide Pharaonis liberauit. Quem vt imitantur boni sollicitique parentes, ita illi Pharaoni & Herodi sunt similes, qui liberos suos, aut non nasci, aut non viuere, aut non ita viuere optant & curant, vt à fide & virtute non degenerent. Degenerare enim volunt prolem suam, quicumque non dant operam, vt honestè educetur.

7. Alij quidem non optant, neque volunt habere filios degeneres, faciunt tamen, vt degenerent, & omnibus ærumnis parentes afficiant. Cur enim eos educant in omnem vanitatem, si nolunt habere vanos? cur eis omnia ipsi permittunt, si eis volunt noxia ab alijs negari? Cùm Zeno Imperator Rom. filium suum admodum adolescentem cuperet relinquere imperij successorem, non modò dignitatibus eum ornabat, verùm & corpus exercere iubebat ad staturæ incrementum. Procere imperatorij potestatem nacti fisci affatim exhauriendi, operam dabant gnauam, vt adolescens Sybaritico luxu corrumpetur, & lenocinijs eum, ad insanos æqualium amores incitabant.

Quare

te Christi. 12.
die Septemb.

Matth. 2.

XII.

Baron. Anno
485. ex Suida.

Quare omni vitæ ratione ad voluptatem ac superbiam comparata, juvenis ab omni honestate remotus, & iam tum arrogantiam, ob expectationē imperij, è vultu elucentem præ se ferens, supercilium tollere, sublimis incedere, & erigere ceruices cepit, atque erga omnes non alium se præbere, quam aduersus seruos. Hæc patri placebant, sed displicebant Numini, cuius est, humiliare eos, qui se exaltant. Vt ergo & nativam, & doctam in eo improbitatem deprimeret, alui profluuium, multos dies, in lecto iacentem & omnia inquinantem, immatura ætate rebus humanis exemit. Sic neque Zeno filium, neque filius imperium habuit. Quid lamentamini, ô matres, si liberi vestri vobis eripiantur, & mores eorum vos verberant? Si non vultis habere malos, bene eos educate: si vultis habere longævos, nolite facere superbos. Cur auro infasciatis, qui nesciunt, quid sit aurum? cur purpura inuoluitis, *adhuc à matre rubentes?* cur mulso & saccharo stomachum euertitis? cur vix pedibus insistere gnaris, ostenditis, quid sit saltare? cur, inter pueros & puellas, choreas & nuptias instituitis, & ludendo docetis, quod appetant peccando? In quibusdam locis, mercatores, si telam textor afferat pravi laboris & malè textam, mediam dirumpunt, ne ad alios emenda transferatur. Multos filios malè eductos Deus è medio tollit, ne terram frustra occupent. Quis in causâ est, is qui malos è medio sustulit, an is, qui, vt mali fierent, malè eos educauit? Tragicam rem narrat D. Augustinus, vel quisquis is est author, his verbis. *Accidit hodie terribilis casus præclarissimo civi nostro Hipponensi Cyrillo. Ecce enim, vt scitis, potens erat inter nos opere & sermone, & ferè dilectus ab omnibus. Filium habebat, & eum unicum possidebat. Et quia unicus erat, eum superflue diligebat, & supra Deum. Ideò superfluo amore inebriatus filium corrigere negligebat, dans etiam potestatem faciendi omnia, que placita essent illi. O dolorosa libertas! ô grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! Ecce filios se dicunt diligere, quos iugulari procurant. Dicunt eos amare, quibus iam suspendia parant. Dicunt patres, filios se nutrire: sed ecce iam pater & filius ambo in foveam cadunt. Quare pater cum filio cadit in foveam, nisi quia pater cæcus est, quia malus, & quia falsus*

In ferm. 33.
ad fratres in
Eremo.

rem suam & filiorum videtur negligere? Quando, & quo modo pater hac neglexerit, nisi quando filio libertatem donavit, quando eum corrigere neglexit, quando virga pepercit, quando ei semper serenam faciem demonstravit? Cupitis audire nunc, quo modo pater & filius ambo in foueam cadunt? Licet enim sciatis, tamen, quia est necesse, ut vos, quàm diu viuitis, timeatis, ideò qua hodie facta sunt, iterum dicere non erubesco. Ecce enim Cyrillus vester filium habebat, ut scitis, quem corrigere negligebat, & luxuriosè viuendo consumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpeffus, matrem pregnantem oppressit; sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores ad mortem violauit. Talisne filius vita dignus fuit? Magnis sanè, immo maximis hic incommodis & damnis affecit patrem, afflixit matrem, conturbauit matrimonium. Sed pater prima caussa fuit. Quod ipse sibi intriuit, id exèdit. Ferat poenam, qui admisit culpam.

Mirum autem non est, à filijs, ad parentes ignauos, cruces eiuscemodi venire, cum non pauci, ob filios negligenter educatos, & in hac vita, ad tempus; & in altera, æternùm puniantur. Testis est D. Hieronymus, Prætextatam nobilem & locupletem Romanam feminam, ab Hymetio marito suo Virginis Eustochij cognato, persuasam, ut eandem virginem, post mundi contemptum, Deo consecratam, profanis vanisque vestibus indueret, capillosque eius in turritos cincinnos superbè crisparet. Quo ornatu cogitabat innocentem animulam irretire, ei que virginitatis, & vitæ religiosioris nauicam iniicere. Utinam hanc historiam multæ matres legerent, vel audirent, quæ totæ sunt, in comendis, pingendis, & Dearum ritu vestiendis suis puellis, ut eas à castiore vita auocent ad vanitatem. Considerent, quid vnguentorum odor, coma calamistrata, & inusta calida acu notæ, margaritarumque ornatus mereant. Vix abiit ille dies, quo Prætextata Eustochium ita, uti dixeram, expoliuit, cum proxima nocte, dormienti adfuit seuum iatruens Angelus, & vehementi eam oratione, in hunc modum, compellans. Tantane tu audaciæ, tantæ temeritatis exististi, ut mariti tui mandatum pluris faceres, quàm præceptum Christi? Tunè caput Virginis Christo sponsæ sacrilegis ausa es manibus

XIII.

S. Hieronymus
ep. ad Læ-
tam.

T t t

nibus

nibus attingere? Ecce iam nunc illæ ipsæ tuæ sacrilegæ manus tibi exarescent, ut è cruciatu discas, quantum facinus perpetraris. Neque hoc sceleri tuo supplicium sufficit. Insuper, quinque abhinc mensibus transactis, in infernum mittearis. Quæ omnia, uti prædicta sunt, sic evenere, prodiditque repentinus interitus, seram illius poenitentiam fuisse. Non erat Prætextatæ filia Eustochium, sed instar filiæ tamen habita, quare & Prætextata instar malæ matris est punita; ut Deum timere, discant parentes, qui liberos suos Dei timorem non docent.

XIV.

Quamquam, si vel nihil peccent parentes, tamen nullo iudicio subinde finit eorum liberos, vel morbis absumi, vel venenis occidi, vel casibus ac ruinis opprimi Deus, frænumque relaxat cacodæmoni, aut eius ministris veneficis, ut proles in innocentia moriatur, juxta illud: *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*: vel si non alia sit causa, sæpe charissima proles subducitur, ut opes aliò transeant, sicut Latino regi contigit:

Sap. 4. 10.

.

Virgil. lib. 7.
Æneid.*Filius huic fato diuinum prolesq; virilis**Nulla fuit, primaq; oriens erepta iuuenta est.*

Gen. 22. 2.

Sæpe tollitur in parentum probationem. Sicut enim Abrahamum ipse probavit, quando eum iussit filium suum immolare; ita & in virtutis ac patientiæ demonstrationem, permisit, ut ad Iobum intraret, qui diceret: *Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehementer irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, qua corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, ut nunciarem tibi.* Quid fecit, hoc nuncio accepto, Iob? an matrimonium, aut ipsum Deum accusavit? nequaquam. Sed tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, non indignatione, sed doloris ostensione, & tonso capite corruens in terram adorans, & dixit: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* In omnibus his, non peccavit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. Sic oportet facere parentes, qui filios amiserunt: non sicut

Iob. 1. 18.

quzdam

quædam notissimi nominis femina, quæ amisso filio, per tri-
dium, non potuit vlla vel ratione, vel oratione persuaderi,
aut cohiberi à Dei Mundum gubernantis iudicijs identidem re-
prehendendis & accusandis, vt verè tunc expediret *magis vrsa*
occurrere, raptis fietibus; quarto postea die, vel doloris impati-
entia, vel Dei vindicta & ipsa è vita decessit. Nec mihi dicat
quispiam, mulierem fuisse; fuit & illa mulier, cuius *filius vnicus*
defunctus ex Naim efferebatur, quæ etfr flebat, non tamen la-
mentabatur, non crines lacerabat, non vomebat in superos
conuicia, non Deum, non naturam in ius vocabat: solo fletu
mouebat Dominum, vt eam miraculo consolaretur. Pudeat
Christianum impatientem, si audiat Ethnicum, filij morte signi-
ficata, dixisse: *Sciebam me mortalem genuisse*. Denique quisquis
vel malè moratos, vel non diu sospites & superstites in quibus-
dam matrimonijs, liberos esse videt, consideret etiam multos
reperiri, qui parentes colant, venerentur, sustentent, hono-
rent, & consolatione maxima afficiant. Cuius rei, vel in solo
Iosepho Patriarcha luculentum est exemplum. Et verè scripsit
S. Hieronymus, *sicut boni filij adulterorum nulla est defensio: sic*
mali filij coniugatorum nullum crimen est matrimony: quia non in
feminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atque vir-
tutum.

Prou. 17. 12.

Luc. 7. 12.

Gen. 45. seqq.
S. Hieronym.
ep. Ruffin.

C A P V T X L I.

Quid sit, & quanti faciendum tertium matrimoniij bonum,
seu insolubilitas?

IN fabulis est, famam aliquando longè lateque, per
orbem terrarum deportatam, constantique omnium
sermone celebratam esse, de Sole uxorem ducturo.
Ibi clarissima futuræ nuptiæ sperabantur. Exultabant aues
luce augenda. Gratulabantur sibi Cimerij de extendendo die.
Sed præcipuè lætabantur rana serenitatem frequentiore habi-
bituræ, jamque tripudiantes & Hymenæum canentes summis
aquis innatabant. Quibus choros in orbem agentibus, rana
senior, & vna de numero, ac genere allarum, quas, in Lycia

L

Quid lib. 6.

T t t 2

vagans Metam.